

www.e-rara.ch

Johannis Prideaux Opera theologica quae latinè extant omnia

Prideaux, John

Tiguri, 1672

Zentralbibliothek Zürich

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-13503>

Lectio I. De absoluto reprobationis decreto.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [\[Link\]](#)

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [\[Link\]](#)

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [\[Link\]](#)

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [\[Link\]](#)

LECTIO I.

De

ABSOLUTO REPROBATIONIS
DECRETO.

In Vesperijs Comitiorum habita Oxon. Julij VI.

Anno Domini 1616.

ROM. IX. IO. II. 12.

- IO. --- Rebecca ex uno concubitu habens Isaac patre nostro.
- II. *Cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali, ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante.*
- 12. *Dictum est ei, Quia maior serviet minori.*



Nter duos ista, quæ instabiles torquent ad suum & Ecclesiæ scandalum; duo mihi videntur hodie, præcipuum Theologis accessere negotium, *Absolutum Dei decretum, & servum hominis arbitrium*. De quibus ut novæ indies seruntur lites, ita veteres semper extiterè querelæ, agente nimirum *Satanâ* eosdem cuniculos: qui ne recens desit discordiæ seges, ita conclamatas refuscitat è puteo *hereses*, ut cum revolutionibus dicas cœlestibus in orbem illas redire. Quis enim redivos non animadvertit in *Anabaptistis, Circumcelliones, in Transylvanis Arianos, in schismaticis nonnullis, Donatistas, in aliis, Pelagianos, in Jesuitis, omnes? Quin verendum est, ne etiamnum serpat inter Orthodoxos, plus quàm par est, Pelagianismi cancer*. Dum enim elatiores nonnulli, *acuminis, & nescio cuius profunditatis Scholasticæ affectantes applausum*, sic de *Dei decretis* philosophantur, ac si exigenda essent hæc *in scrutabilia*, ad rationis humanæ decempedam, fit ut penduli vacillent inter *gratiam, & liberum arbitrium*, nec cœlum attingentes, nec terram: Sed statuentes potius de *salute*, cum *Semipelagianis*, juxta vocem istam meretriciam, 1. Reg. 3. Nec Deo soli, nec libero arbitrio soli, sed *dividatur*. Atque hinc ista impactæ *Calvinistis* blasphemiam, illos quodvis *flagitium* à fonte bonitatis arcesse; illos *Deum Tiberio* truculentiozem, & *Diabolo* (horrendum dictu) *nequiores* efficere. Hinc librorum tituli, & elogia, *Crudelitas Calvinistica, Idololum Calvinistarum revelatum, Calvinio-Turcismus, Calvinus Judaizans*. In *Calviniano de Electione dogmate* (exclamat quidam) *sentiatur & palpentur ipsius Satanae ungula & cornua*. Hoc *Calvinus plantavit*, (reclamat alter) *Machiavellus rigavit, sed Diabolus ipse incrementum dedit, & huiusmodi*: quæ inculcata identidem ad ravim, non ab hostibus tantum, sed fratribus, non possunt non afficere vel teneriores, ut cum *Capernaitis* resiliant, vel confirmatiores, ut cum *Beræensibus* diligentius inquirent, an ita se habeant, necne.

2. Pet. 3. 16.

Rancida veterum Hæresicon Repotia. Danaus Epi stola ad Genevens. præfixa comment. in lib. Aug. de Hæres. ad Quod vult Deum.

Bertius in Apologet. ad fratres Belgas.

Contzen. Guil. Rainoldus. Hunnius. Ofiander. Becanus. Joh. 6. Act. 17.

a in fit. di-
vin. lib. 2. 6.
24.
b L. C. 1. s. c.
1.

2. Mihi verò tamen si semper arriserit illud ^a Cassiodori, Originē esse *severissimi erroris, a-
mare totum in suspectis authoribus, & quicquid inveneris sine iudicio defendere;* cui con-
cinit illud ^b Ciceronis, *Miserā esse Scholę doctrinam, quę titulis Magistrorū se defendat.* Non te-
merè tamen in *obscuris*, tales statim exagitandos putaverim, quos constat in *apertiori-
bus* fideliter semper facem prætulisse. Si igitur, vel ut præceptoribus me gratum præ-
beam, vel ut tempori & huic celebritati me accomodem, vel ut hæsitantibus nonnullis
(quantum in me est) satisfaciam, vel ut adversantibus ostendam, nos *crypticam* in sinu
non fovere *Theologiam*, (sicut calumniatur ^c quidam) quam pudeat soli exponere, vel
examine subijcere, altius in profundum solvam, quàm tutum videbitur meæ scaphę.
Dabitur, uti spero, (Patres & Fratres in Christo *dilectissimi*) pro innato vestro candore,
veniam, quærenti præsertim, non rei *profunditati*, sed sciolorum *curiositati*, quem non
excedant, *limitem*, ad præscriptum authoris de vocatione Gentium, l. 1. c. 1. Intellego
interim me hinc prærupta ascensurum (ut olim *Jonathas* inter duas eminentes petras,
Bozes & Scene) quis enim hinc, vel *absoluti decreti* non horreat sublimitatem, aut *arbi-
trij* flexus, & cautes illinc non refugiat? præsertim cum tot undique castrametentur
Philisthim, qui imbelles huiusmodi conatus cachinnis excipient. Sed qui reptant *iona-
the* tulit suppetias, non deerit (ut confido) ijs qui abnegant semetipsos, ut ab illius im-
mutabili consilio solum pendeant. Tu igitur *aterne Pater*, qui *vocas ea que non sunt, tan-
quam sunt, & noveris tuos & sanctificaveris, priusquam in utero formaveris, dirigas*
(quæso) *gressus meos, & progressus, in hoc lubrico clivo & præcipitio, ne latum unguem di-
scedam à verbi tui lampade*, quam præfert hic Apostolus in textu.

c Bertius in
Hyperasp.
cui respon-
det Crocius
in Parænet.

Inter opera
Prosperi
1 Sam. 14.

Rom. 4.

3. Nondum enim natis pueris, cum nihil fecissent boni vel mali, ut præstitutum illud
Dei, quod est secundum ipsius electionem, id est, non ex operibus, sed ex vocante, firmum ma-
neret, dictum est ei: *Maiores serviet minoribus.* Apostoli scopus per totum hoc caput est, non
ut ostendat tantum in genere *Evangelium* esse potentiam Dei ad *salutem*, non ope-
ranti, sed credenti, (quod subdolè pro *conditionata prædestinatione* substernunt *Sneca-
nus, Arminius, & eorum affecta*) sed potiùs ut *particularim* occurreret quibusdam Iu-
dæorum objectionibus, quibus traditam antea de *Justificatione* doctrinam potuissent
impetere, vel saltem (sicut non malè cum ^a Hieronymo & ^b Augustino analysin instituunt
Calvinus & Zanchius) ut prædestinationis arcanum, (cuius obiter tantum meminisset,
vers. 30. superioris capitis) plenius elucidaret, sicut aptius fortasse *Pareus, Piscator, &
alij.* Ut autem quod res est dicam, de scopo Apostoli in hoc capite, eiusque cum supe-
riori connexionem, inveniuntur inter nostros quinque ad minimum diversę *sententię*,
quę hætenus tamen in idem recidunt, *Apostolum* (scilicet) *Judæorum repudium, & Gen-
tium vocationem* cum *promissionibus Divinis* hoc in loco manifestò conciliare, quod
sufficit ad nostrum institutum. Existimabant enim Iudæi omnes Dei promissiones, illis
solum fuisse hæreditarias, ideòque sic ratiocinabantur. Si justificet jam Deus per fidem
Gentes, & nos rejiciat, quomodo stat pollicitis; annon excidit verbum eius? Ut satis-
faciat hinc *Apostolus*, tria facit, *insinuat, explicat, applicat.* *Insinuatio* extenditur à prin-
cipio cap. ad vers. 6. *Doctrina* deinceps huius rejectionis, *explicatur* usque ad vers. 24.
Applicatur inde ad finem capitis. Explicatio tantum est præsentis negotij. Argumen-
tum Iudæorum sic formeretur: *Si Deus nos rejiciat, ergo excidit sermo eius.* Negat seque-
lam *Apostolus*, & d. stinguit inter *filios carnis & promissionis.* Pactum autem Dei osten-
dit *promissionis* tantum respicere filios, non *carnis*, vers. 7. 8. quod duplici firmat instan-
tiã. *Prima est Isaaci & Ismaelis*, quorum hic rejicitur, ille recipitur, vers. 9. Et ne exci-
perent Iudæi, discrimen hoc oriri ex parte *matrum*, cum hic *ancilla*, iste *libera* fuerit so-

In Rom. 9.

a Ep. 150 ad
Medibiam.
q. 10 q. Ad
Simplicia-
num Tom.
4. c. 1. q. 2.

boles: Instat secundo in *Esavo & Jacobo*, quibus pater, mater, partus, omnia fuerunt paria, vers. 10. Nondum tamen natis hisce pueris, cumque nihil fecissent boni aut mali, ut propositum Dei quod est secundum electionem firmum maneret, non ex operibus, sed ex vocante, dictum est, Maior seruiet minori, vers. 11. 12. Ergo causa, conditio, sive ratio huius discriminis, non quaerenda est in ipsorum operibus praestitis, aut praevisis, praesentibus, aut futuris, (ut optimè contra *Julianum Pelagianum* urget * *Augustinus*) sed in eligentis & vocantis proposito. Replicant *Judæi*, Si propositum illud Dei equalibus inaequalia sic destinaret, tum esset *θεσπολιότης* & injustus. Absit (inquit *Apostolus*) Deus nulli est debitor, potest hoc pro jure suo in creaturas, vel legislatoris vestri iudicio. Nam *Mosis* dicit, Miserebor cuius miserebor, & misericordiam praestabo cui miserebor, vers. 14. 15. Nulla igitur est hinc injusta personarum acceptio in foro iustitia, sed liberrima exceptio in foro gratia. Neque enim libera tantum, sed iusta est haec vox patrisfamilias, Annon licet mihi quod volo facere cum meis? Tolle quod tuum est, & abeat, applicante *Augustino*, de Bono perseverantiae, cap. 8. Insurgunt tertio, ergo necessario peccant homines, & non esset cur illis Deus iure succenseret; Nam voluntati ejus quis resistit. Reprimit hanc proterviam *Apostolus*, Imò verò o homo tu quis es, qui ex adverso responsas Deo? annon potest ille liberè de te disponere, ut de luto figulus? Non vacat haec fusiùs dilatare. Sufficiat observasse ex totius disputationis texturâ, si vel meritum, vel praevisa fides, vel bonus usus liberi arbitrij, vel aliqua alia intervenisset ratio, vel conditio, quâ alteruter horum fratrum praedestinati fuisset commendatior, nec solidè, nec satis appositè respondisset *Judæis* *Apostolus*. Adhibuisset siquidem causam illam, vel conditionem, in qua latuisset discrimen, nec ad occultum Dei propositum, aut liberrimam in omnes potestatem, solummodò subterfugisset, atque ita omnem injustitiae suspicionem facillimè sustulisset.

4. *Cornelius Mussus & Stapletonus* in hunc locum, existimant *Apostolum* disputare hinc potius, quàm aliquid determinare, curiositatem magis redarguentem quàm dubitationi respondentem. *Erasmus*, *Pseudo-Lutherani*, *Catharinus & Remonstrantes*, aut temporalem tantum electionem & reprobationem hinc agnoscunt, aut *Jacobi & Esavi* posteror, non personas, designari arbitrantur. Verùm obruit eos ex hac parte non tantum *Augustini*, *Prosperi*, *Fulgentij*, & *Gracorum* veneranda phalanx, sed & *Scholasticorum* & *Jesuitarum* (ut nostros interim taceam) non contemnendus exercitus. Nec obstat tamen haec tragula (quam injiciunt) nostro progressui, modò illud obtineatur, per temporalia aeterna hinc adumbrari, & ab hypothese *Esavi & Jacobi*, ad thesin electionis & reprobationis *Apostolum* transire, sicut nervosè cum *Calvino*, *Beza*, *Zanchio*, & *Kimedontio* astruunt *Toletus*, *Bellarminus*, *Pererius*, *Cornelius à Lapide*, *Iustinianus*, *Jesuitæ*; *Estius* Professor *Lovaniensis*, & infiniti alij. Certo enim certius est (vel fatente ipso in hunc locum *Arminio*) haec esse ἀδύνατος γενεα, juxta monitum *Apostoli* ad *Galatas* 4. Ideoque tantam esse argumenti vim, ex mutua typorum & antityporum convenientia, quanta est immutabilitas & constantia illius, qui illos voluit esse typos istorum antityporum. Illud autem in hunc sensum contexit *Pererius*. Typus excludit opera, vel aliam in objecto conditionem, antitypum respondet typo, ergo ut absoluta fuit *Esavi & Jacobi* quoad temporalia in hypothese, electio & reprobatio, non minùs absoluta erit in thesi quo ad aeterna, aliorum omnium praedestinatio. Scio non paucos de electione hoc non gravatè largiri, sed ad absolutum reprobationis decretum, solvuntur renes, & colliduntur genua, ut *Belsazzaris* ad aspectum manus scribentis. Verùm parùm attendunt, haec adeò complicata inter se esse, ut non cogitari quidem possit aliquorum electio, ubi aliqui eadem operâ non reprobenentur, ut rectè asserit venerandus *Archiepiscopus*

* Quod maxime apparet in parvulis, quorum nec praeterita dici possunt opera, quia non fuerunt, nec praesentia, quia nihil operantur, nec futura, quando in illa aetate moriuntur. Lib. 6. c. 8. Mat. 20.

Quanam est tandem ista discretio? patent libri Dei, non avertimus aspectum; clamat Scriptura divina, a dhi-beamus auditum: non erant ex ijs, quia non erant secundum propositum vocati, &c. *Augusti* de bon. persever. 1. 2. c. 8.

Dan. 5.

Huttenus.

pus Eboracensis, in Commentatione suâ de electione & reprobatione. Nam hoc ipso quod aliquis non eligitur, intelligitur reprobatus, asserente Bellarmino lib. 2. de grat. & lib. arbit. c. 16. Ipse igitur (ut rei præcipuè controversæ insistam) ex textu sic instituo hanc unicam quæstionem palmarem, *utrum detur absolutum reprobationis decretum?* Quo semel fixo, & ab adversantium calumniis vindicato, corrui statim suâ mole, 1. *Scientia media* de futuris contingentibus, quæ ita exercet hodiè *Jesuitas* & *Dominicanos*. 2. *Gratia*. 3. *Redemptio universalis*. 4. *Apostasia Sanctorum*. 5. *Incertitudo salutis*, quæ suadere tantis clamoribus *Pseudo-Lutherani* & *Remonstrantes* etiamnum fatagunt. De quibus (Christo propitio) totidem in posterum prælectionibus. Hodiernum hoc pensum vix absolyet *absolutum reprobationis decretum*.

BENEDICTIO INTERVENIENS.

1. Par. 20.

5 Non difficilem me possim præbere vestris petitionibus (Inceptores ornatissimi) quis enim non libenter se subduceret ab exercitu pugnantium, ut ita transeat in vallem ברכה ad choros triumphantium? Qui seminat in benedictionibus de benedictionibus etiam & metet, 2 Cor. 9. Et benedictio quæ effunditur, eâdem mensura refunditur in benedicientis sinum, Psal. 35. Sed benedictiones (ut nôstis) sunt in multiplici discrimine. Benedicit enim primò Deus, deinde homines: nec humana valet benedictio, nisi præcedat Divina. Benedicit Deus animantibus ut crescant & multiplicentur; benedicit Sabbato ut sanctificetur; Gen. 2. Benedicunt homines, vel Deo; nomen ipsius celebrando: vel rebus, cultui illas divino consecrando, vel fratribus, idque tripliciter, vel ex autoritate Sacerdotali, ut præceptum erat Aaroni, Num. 6. vel Propheticâ, sive Patriarchali, ut fecit Noah, Gen. 9. vel ex charitate, quemadmodum unusquisque proximo, fausta omnia & felicitia precatur. Quin benedicere etiam non infrequenter muneris cuiusdam & præmij collationem denotat. Per benedictionem intelligit Axa agros & possessiones irriguas, Ios. 15. Mittit David partem prædæ fratribus, ereptam à Philistæis, & accipit comætarum ab Abigail sub benedictionis nomine, 1. Sam. 25. & 27. Quid quod ut beneficium est Regi Assyriæ, ita eleemosyna est Apostolo, benedictio. Eleemosynam autem, aut beneficium, aut munera, aut agros, aut prædam, si benedictionis loco à me expectetis, Respondebit pro me Petrus aurum & argentum non habeo, Act. 3. Sin sublimius aliquid ambiatis, quod & conveniat majori dare, & minori accipere, (Nam sine contradictione, quod minus est à meliori benedicitur, Heb. 7.) accommodandum est mihi illud Iohannis, Mat. 3. Ego necesse habeo ut à vobis benedicar, & vos ad me acceditis? Sed quoniam (ut sequitur) ita decet nos implere omnem iustitiam, age morem geram, præsertim cum benedictionis & prædestinationis doctrinam, intertextat Apostolus, ad Eph. 1. Nec Esau & Jacob (de quibus hic aliàs ago) propositi tantum divini, sed benedictionis cuiusdam celeberrimi suppeditant hypotyposin.

Iacobi. I.

6 Atque utinam tam ipse sustinere potuerim Isaaci personam, quàm vos Jacobi in hoc negotio: sic enim & ipse muneris, & vos devotionis amplissimos fructus reportarem. Verum cum nec ab Isaaci pietate, nec à Jacobi dignitate, profuixerit benedictionis effectus, sed à Benedicto illo super omnia, à quo omne datum optimum descendit, quis scit quid ille præstabit per minimorum ministerium? Certè plusquam unam benedictionem habet celestis Pater, in inexhaustâ suâ misericordiarum abyssò, unde licet nobis quod superfluat haurire, & plenè modis fratribus impertiri. Hoc autem dum ipsius nomine facio, (cujus benedicere, sicut rectè annotat Aquinas, est benefacere) non ablegabo vos cum Esau ut ferinam mihi paratis, nec adigam, ut dolo benedictionem surripiatis: nec enim ita caligant

(Dee

(Deo gratia) oculi, ut palpando experirer an-
 sis mei primogeniti. Veruntamen si Jacobi
 expectetis sortem, oportet ut etiam Jacobi virtutes in
 vobis reluceant. Jacob autem erat
וְיַעֲקֹב ut habetur Gen. 25. אַחֵז וְאֵסֹב; reddunt Septuaginta, vir integer, perfectus sine fu-
 co aut felle: Addit Targum Onkelos **מִשְׁמֵשׁ בֵּית הַלְּפָנָה** Minister domus doctrinae.
 Typus verè electi, & ad benedictionem destinati. Quid autem aliud spiraret Theologus
 quam integritate, candore, diligentia in ministerio doctrina obeundo? Isti enim sunt gradus
 scala Jacobitica, per quos ad beatitudinem ipsam ascenditur. Adde quod habitasse dicitur
 Jacob in tabernaculis, non vagabatur cum fratre in sylvis: domi sedebat, medirabatur, salu-
 taria confecit edulia. Fuerunt tunc in vivis Sale & Heber (si Toftato & Lyrano fides) quorū
 tabernacula ut caelestis Philosophia scholas constanter frequentabat. Amplius ut nil dicam;
 Quā reformati inter vos essent quamplurimi Jacobitæ, vel (si ita loqui liceat) Benedictini,
 si eundem cursum institueretis? Et ne singula persequar, Jacob non adivit patrem sine matris
 consilio & auxilio, & à Matre accepit vestimenta, cibos ipse nō paravit, sed à Matre paratos
 obtulit. Utinam ista observarent præcipites nonnulli filii, qui inconditos parant cibos esuri-
 tibus animulis, nec Matrem Ecclesiam, aut Academiam dignantur consulere. Sed dum fo-
 ris tantum venantur, & dumeta propria solitudinis solummodo excutiunt, experiuntur
 plerumque Esavi sortem. Venit alter & benedictionem intercipit.

7 Atqui de vobis auspiciatiora mihi polliceor (Inceptores, ornatissimi) neque
 enim excidit illud Hieronymi apud Gratianum distinctio: 87. In Scripturis non in-
 veniri sanctos venatores, sed piscatores. Rationem ibidem reddit glossa, quia piscatio fit
 sine clamore, venatio non, item, nisi forsā, dimissis canibus, retia tantum expediuntur.
 Cerrè qui ubivis late divagantur, & clamose venantur secularia, cum domi tantum esset
 piscandum, non satis mihi videntur à matre instructi ad benedictionem Jacobi consequen-
 dam. Istam autem non dubito plenā manu & pectore vobis impertire. Ecce enim Odor ve-
 stri boni nominis sicut odor agri pleni cui benedixit Dominus. Det igitur vobis Deus de
 rore cæli, & de pinguedine terræ, abundantiam frumenti, vini, & olei; serviant vobis
 populi, & adorent vos tribus, estote Domini fratrum vestrorum, & incurventur ante
 vos filii matris vestræ; qui maledixerit vobis sit ipse maledictus, & qui benedixerit vo-
 bis, benedictionibus impleatur. Cūque non adstent vobis hodie Iurisperiti, aut Medici,
 ad quos etiam hæc nostra benedictio extenderetur: suscipite vos alacriter & medendi pen-
 sum, & lites componendi. Nam si suadere potuit vestra Theologia, vel salubriorem, lu-
 xuriosis animæ dietā, vel pacificam tumultuantibus in Christo charitarem, non ita opus for-
 tasse esset tantopere in posterum, pluribus aut Medicis aut Iurisperitis. Descendat postremò
 benedictio ut unguentum Aaronis à barba ad oram vestimenti, à Theologis ad vos etiam
 (Philosophi) quos scio maximā ex parte optimè velle Theologiæ. Acceperunt Theologi
 (ut audivistis) quod in Jacobo esset imitandum, vobis non inconsultius forsā erit perpen-
 dere, quid in Esavo sit declinandum. Maluit ille inter feras foris versari, quàm domi in
 Semi & Heberi tabernaculis. Non abripiat, vos similis vagandi prurigo, ne simplex domi
 lateat, & benedictionem eripiat. Antesignanus potuit esse Esavus, Nepotum & ganeonum
 hujus seculi, nā (ut habet Textus) comedit, bibit, abiit: parvi pendens primogenita. Sed quid
 inde infert Apostolus ad Heb. 12? Prospicite ne quis sit inter vos scortator & prophā-
 nus sicut Esau, qui unico edulio vendidit jus suum primogeniti, postea autem cum
 vellet hæreditario jure benedictionem assequi, reprobatus fuit, nec reperit pœnitenti-
 æ locum, quamvis cum lachrymis eam exquisivisset. Postremò vexavit Esau parentes,
 uxores alienigenas ducendo. Non prevenit illos Dei gratia, nec comitatur benedictio, qui
 debuit à parentibus reverentiam parvi estimant. At amabat, tamen Isaac Esavum. Fa-
 teor, sed conditionaliter tantum (ut notat Rupertus) non quia dignus Esau, sed eò quòd (ut

Gen. 25.

Gen. 25.

1.7. comm.
in gen. c. 6.

Num. 24. 5.

habet Textus) de Venationibus illius velceretur Jacob, Jacob erat, qui matri obsecutus benedictionem surripuit, patrem pie deceptum prudenter placavit, cum Angelo luctatus est, & prevaluit, qui noluisset prius dimittere quam benedictionem extorquisset. Quam pulchra igitur sunt, tabernacula tua, o Jacob, & tentoria tua, o Israel, ut valles nemorosa, ut horti juxta fluvios irrigui, ut tabernacula quæ fixit Dominus, quasi cedri prope aquas! Fluet aqua de fitula ejus, & fenum illius erit in aquas multas. Ista vel his majora præfagit & vocat, de vobis meus affectus (charissimi filii) venistis in Jacobi sortem, nolite rursus cum Esau excurrere, sed potius ut hortatur Apostolus. 1. Pet. 3. 8. Estote omnes oµόφρονες, συµπαθείς, Φιλᾶδελφοί, ἑσπέραιοι, Φιλόφρονες, non reddentes malum, aut maledictum pro maledicto, sed contra benedicentes, quia in hoc vocati estis ut benedictionis hereditatem possideatis, quam Deus Pater, filius, & Spiritus Sanctus vobis, & nobis omnibus pro immensâ suâ benignitate mactet magis indes & perficiat. Atque ita demissis oribus, ad hados regredior: de quibus allero absolutum esse reprobationis decretum.

8 Quod ut innotescat distinctius, Primò, termini sunt explicandi. Secundò, discrepantes authorum sententiæ recensendæ, & inter se conferendæ. Tertio, confirmanda est orthodoxa sententia. Quarto, demum deleantur adversantium sophismata, idque stylo scholastico, & summarim, ut intra horæ angustias (si fieri possit) me contineam. Memor quoad tractandi modum Augustiniani istius præcepti, Theologiam potius exigere firmamenta, quam ornamenta: quoad rem verò, illud sive Ambrosii, sive Prosperii, sive Eucherii in lib. 1. de vocat. gent. cap. 7. semper habens ob oculos; Quæ Deus occulta esse voluit non sunt scrutanda, quæ autem manifesta fecit, non sunt neganda, ne in illis illicitè curiosi, in istis damnabiliter inveniamur ingrati. Termini igitur (ut videris) in proposita quæstione sunt tres, Absolutum, Reprobatio, Decretum. Absolutum aliquid dici potest duobus modis, vel simpliciter quod nullâ admittit relationem, vel respectum, & sic nihil est actu absolutum, quia & ad alterum & alteri, & alterius est, ut rectè * Marsilius, & Sarnanus. Et ipsa Deitas relationes includit personales, non componentes, sed distinguentes, ut constat inter omnes: vel absolutum aliquid habeatur respectu tantum quoddam, & secundum quid, quo sensu est rursus triplex, vel absolutum à termino, ut quantitas & qualitas, vel absolutum à subjecto, ut substantia: vel absolutum à causa, ut causarum omnium causa, à quâ cætera dependent omnia. Extant istæ distinctiones apud Cajetan. in Aquinarem, & Gerardum de monte Domini in eundem tractatum Thoma de Ente & essentia, & recentiores ferè omnes, qui delineârunt nobis Metaphysica. Hora mihi deficeret recensendis nominibus, parcatis igitur properanti, si ex hac parte sum parcius, cum ipsa cogat necessitas. Pergo. Absolutum à causa potest esse vel ab internâ causâ vel externâ. Interna causæ, Materia scilicet & Forma huc non spectant. Externe sunt, Efficiens, & Finis. De Finali etiam non controvertitur. Nemo enim dubitat Deum in omnibus decretis proposuisse manifestationem vel omnipotentiam, vel misericordiam, vel justitiam speciatim, vel gloriam generatim, ita ut efficiens tantum hîc subeat considerationem, eaque non θεωρηµένη quæ intus movet ad agendum (talem enim non deesse Deo, cur potius Esavum quàm Iacobum præteriret, agnoscunt Scholastici & Bellarminus cum Augustino lib. 1. ad Simplician. 97. quam existimat etiam in aternâ beatitudine nobis manifestam futuram, Enchirid. c. 95. sed θεωρηµένη quæ extrinsecus impellit ad decernendum. Vnde hîc hærendum, An extra prædestinantem in obiecto, sit aliquod, sive mediũ, sive conditio, sive congruentia, quæ ipsum inclinaret, ut hunc potius quàm illum ab aeterno rejiceret? Brevius, An absolutum sit ex hac parte aeternum reprobationis

* In Theoretico.

l. 2. de grat.
& l. arbit.
cap. 9. Bonnav. 1. sent.
d. 4. l. 9. 1.

tionis decretum, ab omnibus causis & conditionibus extra Deum? Vbi Reprobatio (ut ad secundum terminum transeamus) duo significat, vel ipsum decretum ante jacta fundamenta stabilitum, vel hujus decreti executionem sive reprobandi actum, qui peragitur in massa peccati post lapsum in tempore. Quoad æternum reprobationis decretum ulterius consideratur, vel absolute, quatenus per illud Deus ex omnibus quosdam statuerit rejicere: vel comparate, quatenus viritum inter omnes quoad se aequales, hunc potius quam illum, Esavum puta potius, quam Iacobum rejiceret. Distinctio est hæc Augustini, quam sic postea explicat Aquinas, & ab illo, vel cum illo, ceteri omnes Scholastici, idque in naturalibus vel artificialibus. In naturalibus, quare Materia prima fit sub diversis formis, cum ipsa in se sit Uniformis, ratio reddi potest, nempe ex diversitate specierum ornatus universi. Sed cur hac materia portio sit informata formam ligni, aut lapidis, illa formam gemmæ aut hominis, dependet simpliciter à voluntate creantis. Sicut etiam in artificialibus, cur ex eodem luto aliud vas coagmentetur ad honorem, aliud ad dedecus, in genere afferri potest ratio, quia sic postulat æconomia usus, verum cur hæc portio luti ad dedecus potius disponderetur, quam alia, quid respondebis nisi quod sic figulo placuerit? Vnde Augustinus in Iohannem tract. 26. Quare hunc Deus trahat, & illum non trahat, noli velle judicare si non vis errare. Atque de comparata hæc reprobatione instituitur quæstio, quæ duplicem includit actum, sicut in confessio est apud Scholasticos, Bellarminum, & nostros penè omnes, Negativum sc. quo Deus decrevit ab æterno hunc potius quam illum non eligere, sed præterire & à lapsu non conservare, & opponitur electioni contradictoriæ. Alter actus est positivus, quo decrevit ita præteritos, & consequenter lapsos non restituere, sed propter peccata justè condemnare, ideoque aptius dicitur prædamnatio, & καταχρηστικῶς tantum reprobatio, ut rectè observavit cum Francisco Junio, Festus Hommius: nec opponitur decreto electionis (ut perperam tradit Bellarminus) sed justificationis. Ut enim decrevit Deus ab æterno in tempore electos justificare interventu fidei: haud aliter decrevit rejectos damnare, postquam ipsi ex propria instabilitate, & Diaboli suasu, contraxissent peccatum. Terminus tertius est decretum, de quo nil attinet subtilius ληπτολογεῖν, an dicendum sit potius decretum quam decretio, an προορισμός, προθεσις, προβωσις, προεραψις, προετοιμασις, προνοια, προελεμένη βουλή, πρόδοξια & Θεῶν prædestinatio, propositum, præscientia, præscriptio, præordinatio, præparatio, definitum consilium & beneplacitum, & si quæ alia sunt similia, de quibus multa garriunt Scholastici? An re, vel tantum ratione differant? Ista enim parum conducunt ad sequentes difficultates elucidandas. Tantum ergo de terminis, in quibus ferè est consensus: perpendamus (quod secundò proposui) & conferamus discrepantes de re ipsa sententias.

9 Vbi excludendum occurrit in vestibulo, primò illud Origenis in somnium, de animabus ante corpora creatis, quas asseruit inde electas fuisse, aut reprobatas, quatenus magis vel minus Deo, ante infusionem in corpora, adhererent, vel resisterint. Pythagoricum hoc delirium refellit Hieronymus ad Hedibiam, q. 10. Ep. 150. Augustinus contra duas Epist. Pelagian. l. 2. c. 6. Copiosissimè autem Aquinas l. 2. contra gentiles, c. 44. Nec astimandum est secundò illud Catharini commentum de electione duplici, absolute à aliorum, nempe beate Virginis aut S. Pauli, cujus immutabilis est effectus, & conditionata aliorum, quæ nititur eorum meritis & obedientiâ: tale quiddam antea docuisset Biel. in 1. sent. d. 41. & postea Sixtus Senensis (ut ipse ingenuè fatetur) lib. 6. Biblioth. sanctæ, Annotat. 248. quod à Dominico à Soto in Romanos, & Iohanne à Bononia in lib. de prædest. refutatam invenies. Tertio, nec huc spectat κατὰ κράτος illud S. Ieroni de

Tract. 26. in Iohannem. P. 1. q. 23. art. 5.

Vid. Bassol. 1. sent. d. 41. q. 1. In Bellar. disp. 61. thes. 6. Vid. Vorst. Anti-bell. p. 560.

Fer. Suavis hist. Concil. Trident lib. 2. pag. 167.

de predestinatione ad gratiam & gloriam, quod mordicus jam arripiunt recentiores Iesuitæ, quanquam illud expressè refellat Bellarminus lib. 2. de grat. & lib. arbit. c. 15. nec revera est propriè huius loci, sed postea opportuniùs examinetur in controversia de universali gratia, cui ut fundamentum præcipuum ab illis substernitur. Adversarii igitur celebriores qui ducunt hîc familiam, cramben tantùm nobis reponunt de prævisis meritis, fide & bono usu liberi arbitrii, quam Augustinus, Prosper, Fulgentius, & cæteri ex eorum disciplina, in ipsis Pelagianis & Semi-Pelagianis ostenderant esse mortiferam. Sunt autem vel Scholastici nonnulli audentiores, quales imprimis hic fuerunt Occam, Biel, & nonnulli degeneres Scoti discipuli, vel recentiores quidam, tam inter Reformatos nostros, quàm Pontificios. Primpili inter Pontificios sunt Iesuitæ; non sagaciores isti, & moderatiores, Salmeron, Toletus, Pererius, Bellarminus, quibus frons de rebus hac in causa non penitus periisset, sed Molina, Vasquez, Suarez, Lessius, Becanus, & cæteri ex recentiori colluvie, qui (ut Africa) gestiunt semper aliquid apportare novi. E Reformatis autem qui cum his in partes abière, furentiores sunt Pseudo-Lutherani in Germania superiori; Remonstrantes in inferiori Fraudulentiores. Notum est quomodo Erasmus & Castalio, huius dolendi schismatis ova posuerint, fovebat Petrus Baro, auxit Gellius Sneckanus, propagavit Arminius, tuentur hodie Vorstius, Corvinus, Bertius, Grevenchovius, &c. non sine summo Ecclesiæ scandalo, & adversantium applausu. Nec desunt postremò inter fratres nostros, qui utcumque crasiorum Pontificiorum prævisa merita, vel demerita, sive Iesuitarum prævisum bonum usum vel abusum liberi arbitrii, vel Pseudo-Lutheranorum prævisam fidem, vel Remonstrantium quamcunque præscitam credendi vel non credendi conditionem, ut causam decreti adhibitam, averfantur prorsus, & refellunt: Peccatum tamen tanquam necessarium (ut loquuntur) in objecto requisitum, ipsi etiam admittunt, ne iustitia Divina in absoluto reprobationis decreto, nimis rigida videretur.

10. Convenit autem primò inter omnes saniores, (nam Puccius cum sua fide naturali, & Huberus cum vocatione universali, relegandi sunt potiùs ad Anticyras, quàm inter doctos numerandi) decretum hoc sive propositum de electis juxta ac reprobis, fuisse (ut loquitur Apostolus) antequam jacerentur mundi fundamenta. Convenit secundò, quicquid Deus fecit, facit, aut facturus est in tempore, ita decrevisse ab æterno facere. Convenit tertio, certum esse in Divino consilio tam reproborum, quàm electorum numerum. Nec controvertitur quartò, an aliqua omnino detur causa præsertim reprobationis in genere, nam facillè omnes designant & finalem, nempe manifestationem Divinæ justitiæ; & efficientem, sed latentem solummodò in occulto Dei consilio, adeò ut lis sit tantùm de causa aut conditione externa in objecto, quæ moveret Deum extrinsecus ad reprobandum Esavum, potiùs quàm Jacobum. In confesso etiam est quinto apud omnes, omnia Dei opera nota fuisse illi ab æterno, idque non successivè per discursum, sed simul & semel uno individuo intelligendi actu. Denique clamant omnes quasi uno ore, sic statuendum esse de hisce omnibus Dei decretis, ut tam iustitiæ Divinæ, quàm misericordiæ; tam æquitatis, quàm absoluti dominij laus, & prærogativa, facta tecta conservetur, nec minimæ obliquitatis suspicio Deo impingatur. Vnde difficultas tandem restat de modo, quo hoc tutò defendatur; utrum scilicet ponendo causam aliquam, aut conditionem in eligendis aut reprobandis, vel recurrendo tantùm & acquiescendo, in liberrimo ipsius beneplacito. Sex autem sunt quæ mihi videntur præcipuè hîc difficultatem augere. Primò, non accuratè distinguunt Doctores inter decretum reprobationis, quod est ab æterno, & actum reprobandi,

Ephes. 1. 4.
Confer Ar-
min. disp. pu-
blic. p. 154.
A. & 15.
Cur Deus il-
lum adjuvet,
illum non
adjuvet, il-
lum tantum,
illum non
tantum, i-
stum illo, il-
lum isto mo-
do, penes ip-
sum est, &
æquitatis
tam secreta
ratio, & ex-
cellentia po-
testatis, Aug.
de peccat.
Merit. & Re-
mission. l. 2.
c. 5. Dom. à
Soto in c. 9.
ad Rom.
Act. 15. 18.
Cameraceni.

bandi quod in tempore post lapsum exercetur. Multa autem competunt actui, quæ applicata decreto durius sonant, & è contra. *Actus* (ut patebit in sequentibus) sequitur peccatum, decretum antecedit. *Decretum* respicit hominem communiter, quatenus (ut ita loquar) coagmentabilis est, vel ad *gloriam*, vel ad *ignominiam*; *actus* invenit eundem in peccati cœno volutantem. *Secundò*, plerumque confundunt decretum ipsum cum *executione*, *media* cum *causis*, *finem* cum *medijs*: hinc *Christus* & *fides* ingeruntur ut *electionis causa*, quæ revera tantum sunt salutis *media*; & *incredulitas* subternitur ut *reprobationis fundamentum*, quam non *ponit*, sed *supponit*; non *antecedit*, sed *sequitur*. *Tertiò* idem valent apud quamplurimos *reprobatio*, sive *non electio*, & *prædamnatio*, sive *iusta ad pœnam destinatio*, unde non leves oriuntur tenebræ. Frequens est hæc *ἀναρρολογία* apud *Patres* & *Scholasticos*, qui electos etiam simpliciter appellant *prædestinatos*, *reprobos* verò *præscitos*. Sed *præscientia* est duplex, *possibile*, quæ non ponit aliquid in re, & *futurorum*, quæ *præsupponit* semper decretum: neutra igitur cum *decreto* est confundenda, quemadmodum nec *reprobationis actus affirmativus* cum *negativo*. *Negativus* enim actus, qui vel *logicè non electio*, vel *Theologicè præteritio* dicitur, ex *absoluto* prætereuntis *beneplacito* solum pender; sed *prædamnatio* sive actus *affirmativus* est, non tam *potentiæ*, quàm *iustitiæ* Divinæ effectus, unde semper præsupponit peccatum, juxta illud *Augustini*; *Deus non est prius ultor, quàm homo fit peccator*. *Quarò*, non extricandis penè se induunt labyrinthis, qui decreta Dei sic exigunt ad humanum concipiendi modum, ut quia nos discurremus à fine ad *media*, & secundum diversitatem *objectorum*, *actus* multiplicamus, ideò idem Deo affingeremus: qui *priora* & *posteriora*, *medium* & *finem*, * uno & infallibili discernit actu. *Ordo* igitur iste & varietas quærenda est, in *executione decreti*, non in *decreto executionis*, ut contexendæ essent catenæ non *decretorum*, sed *mediorum*, ut facit *Apostolus* ad *Rom.* 8. 30. & sic præcipua rixandi causa commodè præcideretur. *Quintò*, nec accuratè *diversis* in *executione actibus*, adæquata adaptantur *objecta*, unde protrahitur ulterius contentionis funis, dum hi *hominem* nondum *conditum*, illi *conditum* sed non *laxum*, alii in *massa peccati volutantem*, pro *objecto prædestinationis* habeant. Rectè quidem omnes quoad *diversos respectus*, (ut satis dilucidè docent *Junius* & *Piscator*, hic *Theolog. thes.* 10. ille in peculiari tractatu) si se invicem intelligerent, distinguerent, & singula singulis ritè tribuerent. Nam aliud est *objectum prædestinationis* in genere, aliud huius vel illius *actus specialis*. *Objectum* prædestinationis in genere potest esse * *intellectualis creatura*, quatenus *labilis*, & capax *pœnæ* vel *premi*; cum autem ista sit duplex, vel *Angelorum*, vel *Hominum*: prædestinatio *Angelica* pro *objecto* habet *Angelos*, *humana* *homines*, qui sunt (ut in electis tantum instemus. nam reproborum quoad hoc eadem est ratio) vel *Christus*, vel ipsius *membra*. Vbi animadvertite tantum in transitu, *Cacodæmones* non fuisse in *massa*, & tamen *reprobos*: *Christus* non fuit in *massa*, & tamen ut *homo* *eligitur*. Quicumque autem *fidelis* (inquit *Augustinus*), vult *prædestinationem bene intelligere*, attendat *ipsum caput*, & in illo *inveniat* & *seipsum*. Ut descendamus igitur ad *homines*. *Reprobatio* quidem illorum quoad *actum positivum* sive *prædamnationem*, necessariò requirit in *objecto* peccati *intuitum*; quoad *actum verò negativum* sive *præteritionem*, quæ propriè est *reprobatio*, non requirit. Ergò qui ultra *massam corruptam* hinc non assurgunt, aut loquuntur tantum de *actu reprobandi*, aut accommodant se quantum convenit ad *infirmorum captum*; non falsum aliquid *tradendo*, sed *veritatem*, prout concipiatur, *sobriè proponendo*. Quos si urgeas, ut ulterius respondeant de *Diabolorum* & *Adami* lapsu, necesse est ut recur-

in 1. sent. q. 12-art. 1.

Reprobatio est temporalis & æterna Gorran. in hunc loc. Deus duobus modis rejicit, (Censilio. Facto.

VVillet. 246 Treecat. fun. Beza explic. totius Christianif. c. 2. Aphorif. 16.

* Thom. p. 1. q. 19. art. 5. in corp. Vid. caten. Basfol. 1 sent. d. 41 p. 205 Arriba. variar. difficultumque specul. Theolog.

quat. l. 1. c. 6. In æternitate modo incomprehensibili, cuncta volumina sæculorum transeuntia manent, currentia sunt. Greg. moral. lib. 20. c. 24.

Quemadmodum præsens tempus continet omnem locum, & quæ in quolibet loco sunt, ita æternus præfenti: simul clauditur omne tempus & quæ sunt in quolibet tempore.

Anselm. de Concord. Præficient. & Prædestinat. * Intellige omnes creaturas rationales sub actu. utro.

Sarnanus
direct.
Theol. pag.
423. De bo-
no persever.
c. 24.

ran tad antecedens aliquod *præteritionis* sive *non conservatiōis* decretum, ab æterno illo *ἀνευθέγω* sancitum ; cui *fuit, est, & erit*, sunt idem momentum ; & *conditus, condendus, & lapsus* respectu alicuius *causalitatis*, aut respectu decernentis, pari forte veniunt. *Ultimò*, non paucos dissolvit nodos distinctio illa necessaria inter *effectum & consequens* ; quam minùs *intelligentes* aliqui, vel insuper habentes, ad incitas frequenter ab adversariis adiguntur. *Induratio* aquæ (ut instem cum *Augustino*) *consequens* est absentix solis, non *effectus*. *Ruina* domus alicujus ex se labilis, necessariò sequitur *defectum* futuræ, quam suppeditare potuit *Dominus*, si libuerit, sed nec vult, nec tenetur. Haud aliter *reprobationem* sequitur *peccatum*, non ut causam *efficientem*, sed *deficientem*, non quâ **removeretur* quod adest, sed non *admoventur* quod sustentaret.

*Obduratio
Dei est nol-
le misereri,
non ut ab il-
lo irrogetur
aliquid quo
fit homo
deterior, sed
tantum quo
fit melior
non irroge-
tur.
Aug. Tom.
4 ad Simpli-
cian. l. 1. q.
2.

10. Quibus sic præmissis, conclusio nostra est expedita, *Decretum Dei æternum, Reprobationis præsertim comparata est absolutum, non à medijs, non à causa finali, sed à motivis, vel causa sive conditione externa impulsiva in objecto : idque quoad præteritionem, sive actum negativum, licet hominum ista discretio postea actu fiat, in massa peccati, & quoad actum affirmativum, sive prædamnationem, semper præsupponat peccatum. Confirmatur hoc fusè à Zanchio, de natura Dei lib. 5. c. 2. Et lib. de prædestinat. sanct. inter miscellanea.* Vbi quicquid in hac re docet contra tumultuantes *Pseudo-Lutheranos*, ostendit se non tantum à *Scripturis & Patribus*, sed etiam à *Luthero & Bucero* didicisse. Huius insistent vestigijs, *Kimedontius, Ursinus, Polanus, Pareus, & infiniti alii*. Eandem tuentur sententiam *Piscator* contra *Schismannum, & Vorstium* ; *Junius* contra *Arminium* ; *VVhitbakerus* noster, & alii celeberrimi istius classis *Theologi*, contra vertiginem *Petr. Baronis*. Vnde nati sunt articuli illi (9) *Lambethani*, articuli decimi septimi *Confessionis* nostræ *orthodoxæ* explicatorii. Non igitur *Calvinus* solus contra *Pighium*, aut *Beza* contra *Castalionem*, aut *Perkinsius* & eorum *symmista*, thesin nostram sustinent ; sed omnes ferè (quod sciam) *perspicaciores, & textûs tenaciores* *Theologi*. Argumenta ipsorum omnia impossibile est attingere. Tempus præterfuit, & multa restant dicenda. Ipse tria tantum proponam, quæ *textus* suppeditat, *Primum* sic se habet. Si præcedat reprobatio *omnem causam sive conditionem* in re-jectis, tum non dependet ab aliqua causa vel conditione antecedente, nisi effectum per *ὕστερον δευτερον* causam præponeremus. Sed nondum *natis pueris, & priusquam aliquid boni egissent, aut mali, prodijt decretum, Maior serviat minori*. Respondent *Adversarii*, præcedere reverà decretum omnes *conditiones præstitas*, sed non *præscitas* ; o-
pera omnia, sed non *prævisionem* operum. Cæterum irridet hoc *Pelagianorum*

Argum. pri-
mam.

Vindicat. 1.
ex August.

κενοφύχτων *Augustinus* ad *Sixtum* Presbyterum, Epist. 105. *Quis* (inquit) *istum acutissimum sensum* defuisse *Apostolo* non miretur ? *Hic erat locus dicere quod isti sentiant, sed non prævidit hæc prævisa opera, nec didicisset in Gamalielis aut Christi schola tam subtiliter distinguere.* Nullam igitur hic adfert huius discriminis inter duos fratres æquales rationem, præter *ὁ ἐστὶν τῆ θεῆ ἡ καὶ ἐκλογὴ* *propositum Dei*, quod est *secundum electionem*, quam inde asserit ex *vocante* tantum, & non ex *operibus* esse, vel *præstitis*, vel *prævisis*, quia *infantes* possint reprobari, quorum opera nunquam *præstanda*, non potuissent esse *prævisa*. Non profuit *Tyrijs & Sydonijs*, quod prævidit *Christus*, illos fuisse *credituros*, si tantum ipsis præstitisset, quantum *Judæis*, ut optimè ibidem urget *Augustinus*. Atque hoc patet ex iis quæ in persona *Judeorum* *Apostolus* sibi immediate obiicit. Si *propositum tantum Divinum* hoc ponat inter pares discrimen, tum *injustitia esset apud Deum*. Quam promptum hîc esset *Apostolo* aliam *causam* vel *conditionem* designasse si adfuisset ? sic ora *Judæis* obstruxisset. Sed *absit*, (inquit)

Ex Apost.

Deus

Deus ipse pro se respondeat; & liberrimam suam potestatem asserat. Exod. 33. 19. *miserere bror, cuius misertus fuero.* Vnde infert *Apostolus, ergo electio non est volentis, nec currentis, sed misertus Dei.* Potestne aliquis expectare aliquid apertius? sed dices ista confirmant *electionem* esse aliquam *absolutam*, sed non *reprobationem*. Non regero (quod est verissimum eandem esse ex hac parte *electionis* & *reprobationis* rationem, nam ubicunque est *electio* aliquorum, aliorum necesse est ut sit *non-electio*, seu *præteritio*, quia *contradictoriorum* necesse est ut una pars sit vera.) Sed textum adduco, ut sequitur. *Itaque cuius vult miseretur, quem autem vult indurat.* Vnde secundum argumentum. Si aliquid esset in hominibus, cur hic potius reiiceretur, quam alter, insufficiens esset hæc *Apostoli* responsio, quâ defendit quod antea statuisset de *absoluto* Dei proposito: sed hoc non est concedendum, ergo. Tertiò, hoc confirmat ulterius, dum assumit pro fundamento hoc *absolutum decretum*, ut objectamenta *Judæorum* refelleret. *Dicis* (inquit) *mibi, quid adhuc succenset, nam voluntati illius quis resistit?* Ac si dixisset, si reprobatio pendeat tantum à Dei proposito, succensere non debet iis qui non præstant illud, quod ipse decrevit ut non præstarent. Nervus est hîc præcipuus *Pelagianorum*: sed quid respondet *Apostolus*? num à fundamento antea substrato finit se abduci? Nihil minùs. Imò (inquit) *ô homo quis tu es qui ex adverso responsas Deo?* Ac si dixisset, plus juris in te habet Deus, quam in lutum figulus. Quomodo cunque igitur de te statuit pro suo beneplacito, non erit tibi unde justè obmurmures, quia *justum est illud quod illi placuerit*, qui non potest velle iniquitatem. Confer id quod sequitur, c. 11. v. 33. *O altitudo divitiarum scientiæ & sapientiæ Dei!* quod admirandû arguit mysterium: sed admirationis hîc nulla esset causa (ut rectè urget *Bellarminus*) si extra ipsius beneplacitum & propositum, in hominibus electis aut rejectis testimoniis copiosissimè à nostris adducuntur. Ne autem existimet quispiam nos *Calvinum*, tantum, aut *Bezam*, in hac expositione sequi, legat non solum *Augustinum*, & quos ille citat, *Cyprianum*, *Ambrosium*, *Nazianzenum*, item qui illum sequuntur, *Prosperum*, *Fulgentium*, *Iohannem Maxentium*, sed etiam *Magistrum sententiarum*, l. 1. dist. 41. Et in illum, *Scotum*, *Gregorium Ariminensem*, *Richardum de media villa*, *Castrensem*, *Thomam Anglicum*, *Cameracensem*, *Mayronem*, *Bassolium*, *Capreolum*, * *Diezam*, *Lichetum*, *Soncinatem*, *Trigofum*, *Estium*, & *Aquarium*, & nescio quot alios, quos non vacavit inspicere. Item *Aquinatem* in prima parte, q. 23. & in eum, *Cajetanum*, *Bannesum*, *Ripam*, *Capponem* de *Porrecta*, *Pesantium*, *Hieronymum de Medices*: quibus addas *D. minicum à Soto*, *Driedonem*, & *Avarez*, *Rispolis*, *Salmeronem*, *Toletum*, *Pererium*, *Bellarminum*: denique *Lutherum* ipsum, & *Brentium*, quos omnes si non verè, at saltem ferè, in hac causa *Calvinistas* dices. Imò *Calvinus* nunquam (quod sciam) tam rigidè loquutus est de *Domino Dei* in creaturas, ac *Augustinus*, cuius hæc sunt verba in lib. de prædestinat. & grat. cap. 16. *Si humanum genus quod creatum primitus constat ex nihilo, cum non debita mortis & peccati origine nasceretur; & tamen ex ijs Creator omnipotens nonnullos in æternum damnare voluit interitum, quis omnipotenti Creatori diceret, quare fecisti sic?* Rationem ibidem attexit idem Pater; *Qui enim cum non essent, esse donaverat, quo sine essent, habuit potestatem.* Consimilia habent *Gregorius Ariminensis*, & * *Gerson*, *Occham*, & *Barth. Medina*. Deum non injustum futurum, si pro arbitrio suo absque peccati interventu *Beatam Virginem* æternis addiceret suppliciis. Nec aliter *Biel*, si justus esset aliquis sic immeritò condemnatus, tantum abest ut responderet, ut potius gratias Deo ageret, quod esset objectum *divinæ justitiæ*. Dum contra ubivis clamat

Infant?

Refutat.
Bell. l. 2. de
grat. & libe-
ro arbitrio,
cap. 16.Arg. 2. Re-
stat igiturhuius discre-
tionis causa

fit voluntas

Dei, qui u-
num liberat,

quia sic ei

placet, alte-
rum non li-
berat, quia

non placet.

Bell. ibid.

Arg. 3. Bert.
Apost. sanct.p. 79. Paræus
in 3. ad B. 5.

dub. 4.

Aug. de præ-
dest. sanct. c.

9. Arg. 4.

Lib. 2. de
grat. & libe-
arbitrio. c. 12.Quomodo
dicit Chri-
stus non es-
tis ex ori-
bus meis?quia vide-
bat eos ad
sempiternam
interitum
prædestina-
tos &c. Aug.Tom. 9. in
Ioh. tract.

48.

* Loquitur
Apostolus
de Esau &
Iacob, quâ-
do ad malsam
naturam non
pertinebant
in D. 40. q.

1. p. 286.

* Gerson de
vita spirit.Anima in
fine conclu-
sionis ante
corol. 1. p.

mibi 167.

1. Deu: 30. test absolue & iuste dare quamlibet afflictionem suæ creaturæ: imò Virgini Mariæ.
 2. Deus de potentia sua absoluta potest alicui infligere pœnam sine culpa præcedente.
 Oeciam 2. sent. q. 19.
 3. Si Deus beatos ex cœlo deiceret, ex concordi omnium Theologorum sententia, nulli faceret injuriam; & Deus potest, quæ sua est potentia absoluta, inuentem hominem mittere in gehennam ignis. Barth. Medina in 1. 2. q. 87. art. 8. & Ariminensis obijcientibus Deo hac ex parte Cruditatem, asserit illos verba scripturæ & sanctorum debita reverentia non attendere 1. distinct. 40.
 & 41. Francisco Maioris in 1. sent. dist. 41. q. 3.

Calvinus in Institutionibus, Tractatu contra Pighium, & in Commentario in hoc 9. cap. ad Rom. putidam esse sophistarum blasphemiam, distrahere jus Dei à justitia; acsi justitia non æquè esset Deo essentialis, ac in creaturas dominium. Denique ** Calvinus profiteretur, se exordium semper trahere in hac causa à massa peccati, quod multi tamen non credunt, quia mallet quid Calvinus sentit à Jesuitis petere, quam in ipsius operibus legere.

11. Sed sentio me prætervectum esse ultra constituti temporis limites. Restant (quod ultimò proposui) argumenta aduersariorum solvenda. Tredecim hinc adducit quidam, pro Nicholao Hemmingio contra Piscatorem, Arminius habet 20. Schaffmannus plura. Commodè revocantur ad quatuor capita, quæ refero, refello & finio. Primò (inquiunt) si admittatur hoc absolutum reprobationis decretum, necessariò Deus statuetur author peccati. Sol. Vetus est Pelagianorum coccylinus. Respondet Augustinus in libro de articulis falso impostis, ad art. 15^{um}. Non est consequens Deum quibus pœnitentiam non dat, respicientiam auferre, & quos non levaverit, allidere. Distinguendum igitur est hinc inter consequens & effectum; effectum præsupponit causam, consequens tantum antecedens. Inter antecedens autem & consequens non intercedit causalitas. Num solem diceres esse tenebrarum causam, quia ad eius absentiam sequuntur necessariò tenebræ? Pari ratione succedit reprobationi peccatum, sed non causatur à reprobatione. Unde tantum infertur, hominem necessariò ruere, nisi Deus illum sustinet, non Deum peccare, quia homini non dat quod non debet. Agnoscant igitur Credentes Dei liberalitatem quæ conservantur, & cadentes propriam labilitatem, quæ sponte ruunt, nisi semper conserventur. Et fateantur cum Augustino, ubi suprâ, & à Deo esse quòd statuitur, & non ab illo esse quòd ruitur. Secundo, hinc dicunt in rebus, statui fatum Stoicum, quo tollitur omnis contingentia. Sol. Nec inventum est hoc novum Arminij, nam occurrit etiam Augustinus, l. 5. de Civit. Dei cap. 9. distinguendo inter causam primam, quæ facit & non fit, & secundas, quæ fiunt prius quam faciunt. Respectu prima causa omnia eveniunt necessariò, vel necessitate consequentis, ut effectus à causa, vel consequentia, ut conclusio à principio certo antecedente, quod non impedit tamen quò minus respectu secundarum causarum statuatur contingentia, cuius radix est efficacia & omnipotentia Divina voluntatis, (ut rectè contra Jesuitas Dominicani) quæ non actus tantum determinatur, sed & agendi modus. Sic ut necessaria à causis necessariis, contingentia à contingentibus producerentur. Quod fuse confirmat Zanchius, lib. 4. de operibus Dei c. 4. q. 4. Terriò, hoc absoluto reprobationis decreto removeri asserunt omnem industriam, exhortationes & correptiones impediri. Sol. Si legeret quispiam Epistolas Prosperi & Hilarij Arelatensis, quæ extant apud Augustinum, Tom. 7. existimaret eos de Arminianis æquè scribere, ac de Pelagianis, ita quadrant singula. Responsio est in promptu ex eodem Augustino. Sequeretur argumentum, si ad finem esset transiendum sine medijs. Nunc verò cum prædestinasso ad finem includat etiam media, non potest hunc sperare, qui ista negligit. Ut enim Chrysippus,

* In 1. sent. dist. 40. 41. dub. 1. * Biel in 1. Sent. d. 41. dub. 2. * De prædestin. pag. 698. ** Ex Augustino in Enchiridio ad Laurentium cap. 99. Sola enim gratia (inquit) redemptos discernit à perditis, quos in unam perditionis concreverat massam ab origine ducta causa communis. Electio Dei gratuita est, quæ sibi ex perditio damnatoque Hominum genere, quos visum est adoptat Calvinus in Epistola, quam tractatui de prædestinatione præmittit ab initio Epistola. Ex corrupta massa si defixi sunt omnes, non mirum si damnationi subjacent, Calvin. institut. lib. 3. cap. 23. 3. 3. Debet quis stultescere, & sensu exinaniri, qui in cœlesti scholi vult hic proficere. Calvin. ibid. Non sic causa intelligi debet, ut quòd cuique antecedit, id ei causa fit, sed quòd efficienter antecedit. Cicero de fato. Polan. Syntag. p. 1546. Alvarez. l. 3. de auxil. disp. 26. Vide Kimedontium p. 646. & 659. Vide Cassand. apud Latium p. 200. Vide Oration. Estij p. 63.

qui *factum* posuit, urgebat etiam *confatalia*, ita Deus qui *metam* præscribit, stadium etiam præcepit, *quo*, non propter *quod* illuc pervenimus. Elegit nos, ut *essemus sancti & inculpati coram eo*, non, quia *fui*mus, aut *futuri eramus*, ad Ephesios primo. *Ultimo* recoquunt illam *Monachi* cuiusdam *cramben* apud *Augustinum*, libro secundo de perseverantia sanctorum cap. 15. & *Hæresin prædestinatorum* apud *Sigeberium*, qui sic ludentes descendebant in foveam. *Qualescunque* (inquiunt) nunc *sumus*, tales tamen *erimus tandem*, quales *Deus* nos *futuros esse præscivit*. Si absolutè reprobati *sumus*, *irrita est industria*, si non, est *supervacanea*. Respondeo, *Desperationem* talem, & *presumptionem*, præsupponere decretum esse notum *desperanti*, aut *presumentem*, nec enim despondet animum *vincens*, aut *presumit*, priusquam constet de *Judicis* sententia. Cum verò tam *reconditum* lateat hoc reprobationis *decretum*, ut (quomodocunque constet electo *certitudo salutis*) nunquam in hac vita possit esse certus *reprobus* de sua *reprobatione*, ut fuse alicubi disputat *Azorius*; amentia est ex hac parte velle aliquid de nobis aut aliis temerè ominari. Nam contexat desperabundus syllogismum, *necesse est* ut sit *hypotheticus connexus*, in hac forma; *Si sim reprobatus, ergo non prodest Deum colere aut invocare*: Assume jam, sed *sum reprobatus*. Nego, nego (insane) istam *assumptionem*, quæ nec constare potest tibi, nec ipsi *Diabolo*, & proinde nulla hîc procedet *conclusio*.

12. Atque ista summatione dicta sint de *Absolute* reprobationis *decreto*, haud aliter (sicut mihi persuadeo) quàm *Scriptura & Patres, & saniores Scholastici*, & præstantissimi inter *Orthodoxos Theologi*, facem prætulerunt. Imò habuimus ante 260. annos *Thomam Bradwardinum*, virum ad stuporem solidè doctum, *Archiepiscopum Cantuariensem* bis electum, & secundò ab *Edwardo III.* (cuius erat *Confessor*) & *Papâ* confirmatum, qui hanc *Dei causam* contra *Pelagium* copiosissimè & nervosissimè tutatus est. Et certè (sicut ille ibidem sapius inculcat) *Qui* vel minimum hîc deferunt *hominis arbitrio*, *Deo* detrahunt, cui *timeo* ego (cum *Augustino*) animæ meæ salutem *ex parte* tantum committere: cur enim niteretur potius homo *infirmirate* propria, quàm ipsius *decreto*, quod non potest mutari? Vel quare de *meritis* sollicita est *Ecclesia*, (ut scitè *Bernhardus*) ubi de *proposito & misericordia Divina* firmior suppetit *securiorque* gloriandi *materia*? Si cui hæc sententia de *absolute* reprobatione videatur asperior, possem respondere cum *Augustino lib. 2.* de perseverantia sanctorum cap. 18. *Hoc scio, neminem contra istam prædestinationem, quam secundum Scripturas sanctas defendimus, nisi errando disputare posse*. Mallem tamen cum *Scoto* sic concludere: *De istis opinionibus, quia Apostolus disputans exclamat, ô altitudo! & quis novit sensum Domini? ideo ne scrutando de profundo, secundum dictum Magistri, eatur in profundum, eligatur que magis placet, dum tamen salvetur libertas Divina, sine aliqua injustitia, & alia que salvanda sunt, circa Deum liberaliter eligentem, cui Patri, Filio, & Spiritui Sancto, sit regnum, potentia, & gloria, in secula seculorum. Amen.*

Obj. 4.

Sol.

Moral. l. 2. cap. 21. & scholast. l. 1. sent. dist.

ult. Thom. de verit. q. 23. art. 8. ad secundum Cor. dub. l. 1. q. 51. Barnes 2. 22. q. 22. art. 1. dub. 2.

Greg. 1. sent. d. 48. q. 1. Aug. de Civit. Dei, l. 21. c. 24. Casus talis non est possibilis neque admittendus. Greg. de Valen. Tom. 3. q. 1. punct. 3. In cantic. ferm. 68. In 1. sent. q. 41.